


TE DEUM LAUDAMUS



Te Deum lau - da - - mus Te Dominum con - fi - te - - mur.
Te Deum laudamus * te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, * tibi Caeli et universae Potestates :

Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant :

Sanctus, * Sanctus, * Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt caeli et terra * maiestatis gloriae tuae.

Te gloriosus * Apostolorum chorus,

Te Prophetarum * laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.

Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia,

Patrem * immensae maiestatis;

Venerandum tuum verum * et unicum Filium;

Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.

Tu Rex * gloriae, Christe.

Tu Patris * sempiternus es Filius.

Tu, ad liberandum suscepturus hominem, * non horruisti Virginis uterum.

Tu, devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus regna caelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes, * in gloria Patris.

Iudex crederis * esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum sanctis tuis * in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine: * et benedic hereditati tuae.

Et rege eos, * et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies * benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum, * et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto * sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine, * miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos; * quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi; * non confundar in aeternum.